

dicitur, quod Censura non sit pura poena, seu vindicta, sed poena medicinalis, disciplinans, non eradicans; quare caute providetur Ecclesiasticis Judex, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis, atque medentis est; atque inhumanum, & irrationabile foret dare alicui medicinam asperam, qualis est Censura, quando aliter sanari, & emendari potest, qualis praesumitur quavis, donec mandatis, & monitionibus Ecclesiae renuat obedire.

Hinc inferes 1. Censuram non posse ferri pro peccato omnino praeterito, id est, quod penitus cessavit, nec habet praesentem inobedientiam conjunctam. Inferes 2. Censuram non posse ferri sine praevia monitione; cum hoc tamen discrimine, quod ad Censuram per legem, aut praecceptum sive generale, sive speciale superioris, factum sub comminatione Censurae de peccato futuro, v. gr. *Quicumque hoc fecerit, vel si hoc fecerit, ipso facto sit excommunicatus, suspensus, &c.* non requiratur alia monitio, quam ipsius legis, aut praeccepti, quod vi sua continuo admonet; modo tamen prohibeatur aliquid fieri; quia, si praecipitur aliquid fieri, videtur opus esse monitione, ut appareat, delinquentem fuisse pertinaciter in mora, & nullo legitimo impedimento excusari.

Sed ad Censuram ab homine infligendam pro peccato praeterito, aut praesente, in quo reus pertinaciter perseverat, & pro quo satisfacere recusat, requiritur expressa monitio cap. *Reprehensibilis* de Appellat. cap. *Romana*, & cap. *Constitutionem* de Sent. excomm. in 6. Ratio est; quia, ut diximus, non fertur Censura nisi in contumaces: contumaces autem non sunt, nisi qui praecedente monitione sub Censura obedire recusant. Et haec ratio probat, Censuram sine praevia monitione non solum esse injustam, sed etiam invalidam; atque ita declaratur in Jure cap. *Constitutionem* cit. & cap. *Statutum* ibid. ubi dicitur, hujusmodi Censuram non tenere.

Triplex debet esse monitio c. *Omnes decimae* causa 16. q. 7. & cap. *Illicita* causa 24. q. 3. Item cap. *Romana*, & cap. *Constitutionem* cit. Attamen juxta l. *Contumacia* ff. de re judicata, potest fieri unica monitio pro trina, praevio eo temporis spatio, quod pro trina sufficiat, dicendo v. gr. moneo te semel pro tribus vicibus, ut intra 3. dies hoc facias, concedendo tibi singulos dies pro singulis monitionibus, vel totum illud tempus pro tribus monitionibus. Imò, si periculum imminet, nec res patitur inorari, secundum communem sensum Theologorum Judex potest statim rem aggredi, excommunicationem comminari, & contra inobedientem ferre. Item haec Canonica monitio debet fieri a Judice, aut ejus nomine, & immediate ipsi reo, si fieri potest; sin minus in ejus domo, vel in loco publico, unde possit ad ejus notitiam pervenire. Item debet fieri coram testibus idoneis, per quos possit probari, cap. *Sacro* de Sentent. Excomm.

Petes 1. Utrum, si Censura non sit lata, sed ferenda sententia, Judex possit statim procedere contra reum convictum, & in ipsum ferre Censuram absque monitione? R. probabilis negativè cum Covarruvias, Cajetano, Laymam, & pluribus aliis contra alios. Ratio est t. Quia c. *Reprehensibilis* cit. de Appellat. dicitur: *Nec Praelati, nisi canonica comminatione praemissa, suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferrant in subjectos, nisi forte talis sit culpa, quae ipso suo genere, (id est, ipso facto, ut ait Glossa ibid.) suspensionis, vel excommunicationis poenam inducat.* Exceptio autem firmat Regulam in aliis. Ergo ad omnem Censuram, quae non ipso facto incurrit, sed est a Judice infligenda, requiritur Canonica monitio. 2. Ob crimen praeteritum, & emendatum Censura fieri non potest, ut patet ex praecedentibus; atque, si Judex possit Censuram sententia ferendae exequi contra reum nulla monitione praemissa, saepe ferretur Censura propter crimen praeteritum, & emendatum: ergo. Confirm. Si is, qui est Censura ligatus se paratum exhibeat peccato desistere, & satisfacere Ecclesiae; debet absolvi a Censura, ut dictum est. Ergo non debet Censura ligari, si pariter sit paratus a peccato desistere, & satisfacere Ecclesiae; id autem sciri non potest, nisi moneatur.

Petes 2. Utrum ignorantia excuset a Censura? R. Ignorantia etiam vincibilis, modo non sit crassa, & supina, sive Juris, sive facti, sive Censurae facti annexae, excusat a Censura. Pro quo vide Tract. de peccatis Dissert. 5. art. 7.

Petes 3. Utrum, qui ex gravi metu facit actionem prohibitam sub Censura, eam incurrat? R. negativè, regulariter loquendo; quia ad Censuram requiritur contumacia, quae sit interpretativè contemptus potestatis Ecclesiasticae; qui autem ex metu gravi violat legem Ecclesiasticam, non censetur hanc potestatem contemnere: ergo. 2. Quia leges Ecclesiasticae regulariter non obligant cum tanta severitate. Dixi: *Regulariter loquendo*; quia si ratione prohibitionis Ecclesiasticae actio prohibita reddatur intrinsecè mala, metus gravis non excusat a Censura, v. gr. si Sacerdos excommunicatus, & publicè denuntiatus ex metu gravi exciperet Confessiones, & absolveret; aut

si quis metu gravi adigeretur ad communicandum cum excommunicatis in contemptum Religionis; in his, inquam, & similibus casibus, transgrediens legem Ecclesiasticam incurreret Censuram: quia in primo casu ratione prohibitionis Ecclesiasticae Confessiones sunt invalidae, & fit gravis injuria Sacramentis: in secundo eadem ratione gravis injuria Irrogatur Religioni. Et hoc sensu intelligendum est c. *Sacris* de his, quae vi, metusve causa fiunt; ubi dicitur, quod, qui per vim, & coactionem communicat cum excommunicato, non incurrit excommunicationem, qui autem communicat ex metu, incurrat: quia, qui per vim, & coactionem communicat, nunquam incurrit; qui autem ex solo metu, quandoque incurrit, scilicet in casibus positos, & similibus, licet non regulariter. Vel loquitur Canon de metu abstrahendo a gravi, & levi: qui autem agit ex metu levi, incurrit Censuram.

ARTICULUS V.

Utrum Censura injustè lata habeat aliquem effectum?

Censura (Suppl. q. 21. art. 4. o.) potest esse injusta dupliciter. 1. Ex parte ferentis, ut si illam ferat ex odio, vel ira, servitas aliunde servandis; & sic dicitur injusta eo modo, quo omne peccatum dicitur injustum. 2. Ex parte ipsius Censurae, si vel causa sit indebita, vel praetermissis fuerit ordo Juris. Est autem duplex ordo Juris, unus accidentalis, ut si Censura non sit lata in scripto, si non praecesserit trina monitio, &c. Alter substantialis, ut si ferens careat jurisdictione, si causa non sit legitime probata, si censura feratur post legitimam appellationem, vel nulla praemissa monitione, &c.

Suppono 1. Censuram, ex parte ferentis tantum injustam, aut latam praetermissio ordine Juris accidentalium, esse validam & consequi omnes suos effectus; quia nihil deest essenziale. Suppono 2. Censuram injustam ratione causae indebitae, aut defectu ordinis substantialis, si injustitia sit notoria, sic esse invalidam, ut nullum habeat effectum, neque per se cum sit nulla, neque per accidens ratione scandalum vitandi; quia, cum injustitia sit notoria, nulli potest esse scandalum, si non servetur. Difficultas ergo restat de Censura occultè injusta ratione causae indebitae, ut si feratur in innocentem, probatum juridicè nocentem; injustitia enim ex aliis defectibus potest facile innotescere.

Dico. (Ibid. & ad 1.) Censura lata in innocentem, probatum juridicè nocentem, reipsa & in foro conscientiae est invalida, nec ullum habet ex se effectum; per accidens tamen ratione scandalum vitandi habet aliquos. Prob. 1. pars. Ecclesia nec vult, nec potest excedere limites suae potestatis; atque potestas ferendi Censuras data est Ecclesiae contra nocentes inobedientes, non contra innocentes: ergo. Prob. 2. Pars: Censura, de qua agitur, ex parte Juris est justa, atque ad publicam utilitatem, & disciplinam lata: ergo juridicè reus tenetur illi parere, in quantum necessarium est ad publicam utilitatem, & ut Juridicè, & Ecclesiae auctoritas non veniat in contemptum.

Hinc inferes, hujusmodi Censura ligatum re ipsa, & coram Deo non privari suffragiis, & orationibus Ecclesiae, jurisdictione in foro interno, & externo, potestate conferendi, & accipiendi Beneficia Ecclesiastica, usu activo, & passivo Sacramentorum, neque communionem fidelium; ita ut possit occultè, & coram scientibus ejus innocentiam, absolvere, celebrare Sacramentum, illud audire, communicare cum aliis tam in spiritualibus, quam in temporalibus; secus autem publicè, seu coram necessitibus ejus innocentiam, propter scandalum. Et ideo merito damnata est haec propositio q1. Quenell: *Excommunicationis injusta metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro.* Si quidem injusta Excommunicatio, cujus injustitia non est nota, impedit excommunicatum celebrare Missam, illam audire, adesse divinis officiis, & alia, ex quibus nasceretur scandalum, juxta ea, quae diximus superius de scandalis. Adde, hanc propositionem fuisse damnatam in sensu Auctoris; intendebat autem Auctor hac propositione obfirmare contumaciam eorum, qui damnationi Jansenii subscribere renuebant, ut testantur Episcopi Galliae in sua institutione Pastoralis. Verius ergo dixit S. Gregorius: *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est.*

ARTICULUS VI.

Quis possit absolvere a Censura?

Suppono, Censuram tolli dumtaxat per absolutionem legitimi Judicis, non per ejus mortem, aut depositionem; quia poena per legitimam Judicis sententiam inflicta transit in rem judicatam, & ideo eadem auctoritate publica, qua contracta est, debet dissolvi.

Dico 1. A Censura, ab homine lata per sententiam particu-

larem, is solus absolvere potest, qui eam tulit, vel Superior, vel Successor, aut delegatus. Colligitur 1. ex Canone Arabico 27. Concilii Niceni, qui sic habet: *Nullus Episcopus solvat, quem alius Episcopus ligavit, quamdiu ille, qui ligavit, vixerit.* 2. Ex hac Regula, communiter recepta: *Ejusdem est solvere, & ligare.* 3. Ex c. *Prudentia* §. *sexta* de officio & potest. Judicis delegati. Ratio est; quia Censura sic particulatim lata est sententia Judicis, quam nullus alius, nisi Superior, aut Successor, aut delegatus rescindere potest sine violatione illius jurisdictionis.

Dico 2. A Censura Juris, seu sententiae generalis, reservata is solus absolvere potest, qui sibi reservavit, vel Superior, vel successor, vel delegatus. Patet ex praeced. Conclusionem. Dico 3. A Censura Juris, si non sit reservata, potest absolvere quilibet Confessarius c. *Nuper* de Sentent. Excomm. Et ideo solent Confessarii praemittere absolutionem a Censuris absolutioni a peccatis. Idem videtur dicendum de Censura lata ab homine per generale statutum, si non sit reservata; quia Censura sic generaliter lata non continet propriè sententiam Judicis, cujus rescissio per alium foret violatio suae jurisdictionis; sed potius continet praecceptum sub tali Censura impositum; ideoque ex hac parte Censurae Juris aequiparatur. Ex his colliges, quod Censura ligatus per sententiam particularem a suo Episcopo propter crimen & contumaciam, si domicilium metet, aut ingrediatur Religionem, non possit absolvi ab alio Episcopo, vel

Praelato; quia Episcopus, qui Censuram tulit propter causam in suo Tribunali ceptam, & nondum finitam, retinet jus in eum, quem Censura ligavit, juxta hanc Regulam Juris: *Præventus a Judice forum ipsius in ea causa declinare non potest;* & colligitur ex Cap. *Proposuit* de foro compet. Secus autem propter contrariam rationem, si Censura sit Jure vel ab homine per statutum generale lata; poterit enim tunc absolvi ab alio Episcopo praesentis domicilii, vel a Praelato, imò a quolibet Confessario, si non sit reservata in loco domicilii.

Petes 1. Utrum ad validam absolutionem a Censuris requiratur determinata verborum forma? R. negativè; quia id nulli necessariò requiritur ad validitatem absolutionis: sed sufficit, si proferatur verbis, aut signis experimentibus voluntatem absolventis. Non tamen fieri actu merè interno sine verbis, aut signis: quia est actus jurisdictionis exterioris.

Petes 2. Utrum absens, vel invitus possit absolvi a Censura? R. affirmativè: (Suppl. q. 24. art. 4. o.) quia, sicut absens, aut invitus potest Censura ligari, multò magis potest ab ea absolvi sola voluntate potestatem absolventis habentis, modo tamen humano significata.

Nec obstat (Ibid. ad 2.) quod Censurae causa motiva sit contumacia, quae videtur maximè esse in invito: quia superior, etiam manente contumacia, potest discretè Censuram justè latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cujus medicinam fuerat lata.

DISSERTATIO II.

DE CENSURIS IN PARTICULARI

NEC NON

DE IRREGULARITATE.

Div. Thom. Suppl. QQ. 21. 22. 23. 24.

ARTICULUS I.

De Excommunicatione.

§. I. Quid sit Excommunicatio, & qui ejus effectus?

Excommunicatio, quasi extra communicationem, generaliter sumpta, est Censura Ecclesiastica separans ab aliqua Communione Ecclesiae. Est duplex, minor & major. Minor est Censura Ecclesiastica, separans a participatione passiva, seu susceptione Sacramentorum; Cap. *Si celebrat* de Clerico excommunicato. Excommunicatio (Suppl. q. 21. art. 1. o.) major est Censura Ecclesiastica, separans a quolibet licita communione fidelium; consequenter a participatione tam passiva, quam activa, Sacramentorum, a Suffragiis publicis Ecclesiae, & a fidelium convicto. Et haec semper intelligitur, quando est sermo de Excommunicatione sine addito: cap. *Si quem* de sent. Excomm.

Ad intelligentiam definitionis datae (Ibid. art. 1. & 1.) observandum est, triplicem esse fidelium communionem: Unam purè internam, qua fideles per gratiam & charitatem inter se & cum Christo ununtur. Secundam purè externam, consistentem in convicto, colloquio, commerciis, ceterisque actionibus ad humanam societatem pertinentibus. Tertiam mixtam, consistentem in actionibus & caeremoniis exterioribus, sed interiorè & spirituale fructum habentibus ex propria institutione, ut sunt usus, tum activus, cum passivis Sacramentorum, Suffragia publica, quae in Sacrificiis & publicis Officiis pro universa Ecclesia fiunt, satisfactiones Christi & Sanctorum, quae per Indulgentias applicantur, &c. Excommunicatio itaque non tollit, nec tollere potest communionem purè internam, sed supponit per peccatum mortale, propter quod fertur, sublatam; tollit autem merè externam & mixtam, ut mòx articulatim explicabo. Et ita differt a suspensione, quae est tantum privatio usus sacri ministerii & beneficii, spectatque solum Ecclesiasticos; & ab interdicto, quod privat tantum participatione reum sacramentum, ut sacra sunt.

Explicantur effectus Excommunicationis.

Primus (Ibid. o.) est privatio susceptionis Sacramentorum extra casum necessitatis, Cap. *Cum illorum* & Cap. *Si quem* de sentent. Excomm. quia in Sacramentis participandis fideles communicant. Validè tamen suscipiuntur; quia, cum validitas Sacramentorum pendeat ex institutione Christi, posita materia

& forma, atque intentione Ministri, non potest ab Ecclesia impediri. Excipe Sacramentum Poenitentiae, quod indirectè impeditur propter indispositionem subjecti. Si tamen Poenitens bona fide procedat, non se reputans excommunicatum, aut putans excommunicationem non impedire absolutionem, vel Confessarius obliviscatur absolvere ab Excommunicatione priusquam a peccatis, validè absolviunt a peccatis, remanente Censura; quia Excommunicatio poenitentis non tollit a Confessario jurisdictionem, sed tantum prohibet poenitenti, ne accedat ad Sacramentum non absolutus ab Excommunicatione; quod cum ille, ut suppono, ignoret invincibiliter, aut credat Confessarium debite suo munere fungi, excusatur a transgressione hujus prohibitionis; nihilque obstat ex hac parte, quominus sit valida confessio & absolutio a peccatis. Dixi: *Extra casum gravis necessitatis*: quia in casu gravis necessitatis, puta, ad vitandum periculum immensae mortis, mutilationis, infamiae, jacturae honorum, aut scandalum, Excommunicatus non peccat suscipiendo Sacramenta, quia lex Ecclesiastica non obligat cum tanto rigore.

Secundus effectus est privatio Suffragiorum communium Ecclesiae, quae a publicis Ministris pro tota Ecclesia, seu pro fidelibus tamquam pro membris Ecclesiae fiunt: item & satisfactio, quae ab Ecclesia conferuntur fidelibus per Indulgentias: est enim in his maxima fidelium communicatio, & colligitur ex Cap. *A nobis* 2. & Cap. *Sacris* de Sent. Excomm. Atque expressè docet S. Greg. l. 2. Dial. cap. 23. ita ut nemini liceat orare pro excommunicatis, tamquam pro membris Ecclesiae: orare autem pro ipsis, non tamquam pro membris Ecclesiae, sed ut ad Ecclesiam redeant, licet & publicè & privatim, sicut docuit in Tract. de Religionem Dissert. 2. art. 6. vide.

Tertius effectus. Excommunicatus prohibetur celebrare divina Officia, aut eis interesse, hoc est enim communicare cum fidelibus. Colligitur ex Cap. *Significavit*, Cap. *Nuper*, Cap. *Respondeo* de sentent. Excomm. & Cap. *Alma* eodem tit. in 6. Divina autem Officia dicuntur sacrae functiones, quae ab Ecclesia solemniter fiunt, ut Missae Sacrificium, publica recitatio Horarum Canonicarum, quaevis alia Oratio publica, Processio, benedictio, consecratio, &c. ita quòd, si Excommunicatus non toleratus, seu vitandus, de quo infra, adit divinis Officiis, praesertim Missae, moneri debet, ut discedat; si jussus discedere renuat, incurrit novam Excommunicationem Papae reservatam, Clement. *Gravis* de Sentent. Excomm. Est et expellendus per Laicos, aut etiam per Clericos, si desint Laici. Quòd si expelli non possit, omnes fideles debent recedere; Sacerdos autem

tem debet abrumperre Sacrificium, si nondum inceperit Canonem juxta plures, aut Consecrationem juxta alios: alioquin debet pergere usque ad summationem Calicis inclusive, & iterum monito Excommunicato, ut recedat, si noluit, debet Sacerdos recedere ab altari, & Missam perficere in Sacristia, vel alibi. Observant tamem Canonistae, haec intelligenda esse de Sacrificio Missae respectu istius Altaris tantum, cui excommunicatus non toleratus adest; si enim in eadem Ecclesia sint alia altaria, nihil prohibet Missam in eis peragi, etiam praesentibus fidelibus.

Non prohibetur autem Excommunicatus privatim orare, nec audire concionem in Ecclesia. Unde, si sit adstrictus Breviario, tenetur illud recitare, etiamsi ratione Excommunicationis fructibus beneficii privetur; quia, cum per eum stet, quominus respiciendo absolvetur, & fructus percipiat, *Dammum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alius imputare* Reg. 86. Juris in 6. dum autem recitat Officium, non debet dicere *Domine vobiscum*, quia hoc importat Communionem sacram cum populo, sed debet dicere *Domine exaudi orationem meam*. In recitatione tamem privata Officium videtur materia levis, & inde peccatum veniale.

Petes, utrum, qui voluntarie remanet in Excommunicatione, dum potest ab ea absolvi, peccet contra praecipuum audiendi Missam, confitendi annue, & communicandi in Paschate? R. probabilis affirmativa. Quantum ad Confessionem annuam, & Communionem Paschalem est communis sententia, quia ista praecipua per se obligant ad munditiam animae, consequenter ad tollendam vincula peccati & Excommunicationis. Quantum ad auditionem Missae, negat Navarrus, Suarez, &c. quos citat & sequitur Layman; quia, inquit, quoad illud est in Excommunicatione, non debet audire Missam; sed neque ratione hujus praecipii videtur obligatus, ut se disponat, & impedimentum tollat, cum ea dispositio sit valde remota. Quoad modum nec is, qui sua culpa in vinculis detinetur, contra praecipuum de audienda Missa die Festo delinquit. At totum hoc negandum arbitror, quia quo jure tenor observare legem, eo tenor tollere, cum possum, impedienda observationem legis. Factor quidem, quoad illud quis subiacet Excommunicationi, cum non tenetur audire Missam, sicut nec quoad illud quis detinetur in vinculis. At, cum uterque potuerit, & ideo debuerit tollere hoc impedimentum, omisso Missae est utriusque voluntaria, & imputabilis in causa, negligentia scilicet tollendi hoc impedimentum; sicut, qui potest habere Breviarium, & negligenter, omisso recitationis Breviarii esset ipsi voluntaria, & imputabilis in causa, scilicet in ipsa sua negligentia comparandi sibi Breviarium.

Quartus effectus est privatio administrationis Sacramentorum. Colligitur ex Cap. *Si celebrat* de Clerico excommunicato, patet ex notione Excommunicationis: quae enim major communicatio cum fidelibus, quam illis ministrare Sacramenta? Attamen Sacramento ab excommunicato collata sunt valida; quia, ut jam dixi, eorum valor pendet ab institutione Christi, quam impedire non potest Ecclesia. Excipit Sacramentum Poenitentiae, collatum ab Excommunicato non tolerato; quia ad illud requiritur iudicium, quia privatur excommunicatus non toleratus, ut dicam infra, nisi interveniat publicus error cum titulo colorato, ut dictum est alibi, aut nisi agatur de poenitente in articulo mortis. Quantum ad hunc & praecedentem effectum excipiendus est casus necessitatis, ut dictum est de primo effectum. Quintus effectus est inhabilitas ad suscipiendum quodvis beneficium, dignitatem, aut munus Ecclesiasticum, ita ut praesentatio, aut electio Excommunicati, item institutio, seu confirmatio ipso jure sit nulla. Colligitur ex Cap. *Pastulantis*. Et ratio est; tum quia assumptio ad quodvis munus Ecclesiasticum est magna eaque Ecclesiastica communicatio: tum quia prohibito exercitio actus, censetur prohibitum illud omne, per quod pervenitur ad illud, prohibetur autem Excommunicato exercitium muneris Ecclesiastici.

Petes 1. Utrum Excommunicatus sit etiam inhabilis ad pensionem recipiendam? R. est inhabilis ad pensionem clericalem spiritualem, quae scilicet datur ratione alicujus ministerii spiritualis, ut Concionatori, Coadjutori Episcopi, &c. quia eadem est ratio de illa, ac de beneficio, seu Officio Ecclesiastico. Non est inhabilis ad pensionem laicalem, quae datur ratione alicujus ministerii temporalis, ut aedificatio, quae potius rationem stipendii temporalis habet, quam Beneficii, aut Officii spiritualis. Pluribus etiam non videtur inhabilis ad pensionem clericalem mixtam, quae quidem non datur ratione ministerii spiritualis praestandi, requirit tamem statum clericalem, ut quae datur Pastori seni, resignanti, &c. in cuius probationem profertur declaratio Cardinalium super sess. 14. Concilii Trid. Cap. 7. de Ref.; quom etiam refert Gallemart ad idem Caput, in qua dicitur, quod incapacitas homicidae ad beneficia non extendatur ad pensiones. Quae verba intelligi non possunt de pensione merè spirituali, cuius est incapax homicida irregularis: ergo de omni alia pensione. Triplicem hanc pensionem distinctius ex-

plicitam require in Tract. de Religione Dissert. 11. art. 1. Concl. 5.

Petes 2. Utrum Clericus excommunicatus possit percipere fructus sui Beneficii? R. 1. Clericus excommunicatus non videtur ipso facto privatus fructibus sui Beneficii: nulli enim in Jure id exprimitur. Equidem Cap. *Pastoralis* §. *Verum* de Appellat. dicitur: *Illi proventus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communicatio denegatur*: sed his verbis non videtur significari Excommunicatum ipso jure esse fructibus sui Beneficii privatum, sed per iudicium sententiam privandum. Unde R. 2. Si excommunicatus per se, vel per alium praestet Officium, quamvis praestando peccet, probabile est, quod possit fructus percipere; quia, ut dictum est, nullo jure est ipso facto iis privatus. R. 3. Si verò neque per se, neque per alium praestet officium, & per eum stat, quominus absolvetur, videtur, quod ex ipsa justitiae lege non possit percipere fructus; quia hi dantur propter Officium, quod potest praestare, & non praestat. Quod si a contumacia recesserit, & per eum non stat quominus absolvetur, etiamsi non praestet Officium, quia non potest, videtur, quod possit percipere & retinere fructus; sic enim se habet, sicut qui ex sua culpa infirmus non potest praestare Officium, & tamen fructus percipit.

Sextus effectus Excommunicationis toleratus privatur omni non jurisdictionis spiritualis Cap. *Audivimus* 24. q. 1. cap. *Si is cui de Officio delegati* in 6. c. 1. de Officio Vicarii in 6. Item jurisdictionis civilis, secundum saltem communem interpretationem Canonistarum in Cap. *Nos Sanctorum* causa 15. q. 6. ubi Gregorius VII. absolvit eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento adstricti sunt, ab obedientia Principi excommunicato praestanda, donec ad satisfactionem veniat. Item privatur communicatione forensi, ita ut non possit esse Judex, Tabellio, Advocatus, Actor, aut Testis etiam in Civilibus: cap. *Ad probandum* de sent. & re judic. & cap. *Decernimus* de sentent. excommunic. in 6. Dixi: *Excommunicatus non toleratus*; quia, licet Jure antiquo omnis excommunicatus his privaretur, attamen Jure novo post Concilium Constant. ex Bulla Martini V. *Ad evitanda scandala*, solis excommunicatis non toleratis haec prohibetur. Potest tamen pars in civilibus excipere contra excommunicatum toleratum. Si verò Actor, aut Advocatus, aut Testis, etsi excommunicatus non toleratus, non repellatur a Judice, aut non excipiatur a parte adversa, valet eorum acta; secus de iudice excommunicato non tolerato, quia, ut dictum est, caret jurisdictione.

Septimus effectus Rescriptum Papae, non tamen aliorum Praelatorum, ab excommunicato impetratum, est ipso jure irritum c. 1. de Rescrip. in 6. Et ideo solet inferri absolutio ad cautelam, ad effectum dumtaxat Rescripti consequendum.

Octavus effectus est privatio Sepulturae Ecclesiasticae, & officii Ecclesiastici funebriis, si excommunicatus non toleratus moriatur in excommunicatione, c. *Sacris* de Sepult. Si tamen ante mortem signa poenitentiae dederit, nec per illum steterit, quominus absolveretur, debetur post mortem absolvi ad consequenda Ecclesiae suffragia, & Sepulturae Ecclesiasticae donari post absolutionem.

Nonus effectus est privatio omnis communicationis civilis cum fidelibus, etsi haereticis. Colligitur ex c. de Except. cap. *Nuper* & c. *Si quem* de sent. excomm. c. *Ad mensam* causa 11. q. 3. Et haec obligatio non communicandi est reciproca, quominus enim principaliter & directè afficiat excommunicatum, ne in communicationem cum fidelibus se ingerat, consequenter & indirectè afficit etiam ipsos fideles, ne excommunicati communicationem admittant. Intelligit tamem pro fidelibus de excommunicato non tolerato, ex Bulla *Ad evitanda*, ita ut possint communicare cum excommunicato tolerato. Non sic de ipso excommunicato, qui, licet sit toleratus, non potest tamen se ingerere in societatem fidelium, nisi a fidelibus requisitus, quia Bulla *Non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*. Excipit semper casum necessitatis, ut de 1. casu dictum est. Unde si occulta sit excommunicatio, non tenetur excommunicatus se prodere cum detrimento famae.

Omnis autem communicatio civilis prohibita continetur hoc versu:

Os, orare, vale, communicatio, mensa negatur.
Per *Os* (Suppl. q. 21. art. o.) intelliguntur oscula, amplexus, colloquia, litterae, munera, &c. Per *Orare* prohibetur ne oramus cum excommunicatis. Per *Vale* prohibetur mutuae salutationes verbo, signo, vel scripto. Per *Communicatio* prohibetur omnis communicatio, non solum in spiritualibus, ut explicatum est antè, sed etiam in civilibus per contractus, commercia, cohabitationem, iter, &c. Per *Mensa* prohibetur in eadem mensa comedere, in eodem lecto decumbere. Hae duo ultima, *Communicatio*, & *Mensa*, intellige de sociis formaliter, & ex intentione; secus, si praeter intentionem excommunicatus incidat in eandem domum, idem hospitium, idem balneum, &c. Item in-

intellige haec omnia de excommunicato non tolerato, seu vitando respectu fidelium, non respectu ipsius excommunicati. Hoc est, fideles non tenentur vitare in his omnibus excommunicatum toleratum, ex Bulla *Ad evitanda*: excommunicatus tamen, etsi toleratus, non potest in his communicare cum fidelibus, nisi ab eis requisitus.

Causa excusans communicationem cum Excommunicatis.

Sunt autem causae (Ibid. q. 23. art. 1. o.) excusantes Communicationem fidelium cum excommunicatis non toleratis, & excommunicatorum cum fidelibus; quae ex Greg. XII. in cap. *Quoniam multos*, causa 11. q. 3. comprehenduntur hoc versu.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile: Excusat (Ibid.) notabilis utilitas, sive nostra, sive excommunicati. Unde licitum est conferre excommunicato etiam non tolerato, subsidium tam spirituale, quam corporeale, quo indiget. Sic c. *Responsio* de sent. excommunic. conceditur, ut coram excommunicato verbum Dei publice in Ecclesia praedicetur. c. *Cum voluntate*: eodem Titulo declaratur, cum non incurret excommunicationem minorem, qui excommunicato in his, quae ad absolutionem, vel alias ad salutem animae pertinent, in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat: vice versa, licet fidelibus accipere ab excommunicato etiam non tolerato subsidium temporale, vel spirituale, quo indigent, si non sit alius, qui ita commode possit praestare.

Lex scilicet matrimonialis (Ibid.) excusat; ita ut, si alter, vel uterque conjux sit excommunicatus, possunt tamen petere & reddere debitum & inter se communicare in aliis, scilicet in gubernatione domus, mensa, colloquio, &c. colligitur ex citato cap. *Quoniam multos*.

Humile: (Ibid.) Excusat humilitas subjectionis, quam habent filii non emancipati ad Parentes, famuli, sive urbani, sive rustici ad Dominos, Religiosi ad Praelatum, Clerici ad Episcopum, qui cum excommunicatis etiam non toleratis communicare possunt, ut vitetur periculum animarum, sicut dicitur citato c. *Quoniam*. Ex quo inferunt plures Juris Interpretes, Parentes & Dominos posse recipere communicare cum filiis & famulis excommunicatis; sicut enim, inquit Auctor inferiores obligantur ad obsequia superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum. Dixi: *Filii non emancipati*; (Ibid.) quia, qui sunt extra potestatem Parentum, tenentur eos excommunicatos vitare, nisi in aliquibus signis reverentiae, quae Jure naturali debentur Parentibus a filiis emancipatis. Intelligit etiam probabiliter de famulis, quos ante excommunicationem Dominus habebat, nisi forte sint absolute necessarii, quo casu excusabit necessitas, de qua modo.

Res ignorata: Excusat ignorantia sive Juris, sive facti, modo non sit affectata, aut supina; *Necesse*: Excusat necessitas tam spiritualis, quam corporalis, sive propria, sive excommunicati. Neque illa debet esse extrema, sufficit rationabilis. Colligitur ex c. *Inter alia* de sent. excomm. & c. *Si verè* eodem titulo. Unde, si ex contracto debem excommunicato, aut ille mihi, possum & tenor ille solvere debitum, & vicissim possunt ab illo exigere. Item possum a quocumque excommunicato emere, aut accipere necessaria, si nullus sit alius, qui vendat, aut praestet. Ex dictis colligitur, excommunicationem inter omnes penas Ecclesiasticas esse gravissimam, ideoque non esse ferendam, nisi quando aliis penis levioribus & praevis monitionibus nihil obtineri potuit, & est spes per illam emendae in peccatore, aut boni communis promovendi.

§. II. Variæ Quaestiones circa Excommunicationem breviter resolvuntur.

Petes 1. Qui sunt excommunicati non tolerati & vitandi? R. Jure antiquo, ut jam dixi, omnes excommunicati erant vitandi, publicè, si excommunicatio erat publica, occultè, si erat occulta. At nunc Jure novo post Concilium Constant. ex Bulla Martini V. *Ad evitanda scandala*, hi sunt tantum vitandi: 1. Qui sunt nominatim excommunicati, & publicè denuntiati ut tales. Unde non sufficit, quod quis nominatim excommunicatur, etiamsi constet omnibus esse excommunicatum, sed debet esse publicè denuntiatus ut talis, ita ut cum in Bulla dicitur *publicata, vel denuntiata*. To vel non sumatur disjunctivè, sed ad explicandum, quomodo debeat esse publicata. Ita communiter Auctores Bullam interpretantur, & talis est praxis. 2. Notorii percussores Clericorum, sic quòd factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio juris suffragio excusari. Verum, cum sit admodum difficile discernere, an factum possit, vel non possit aliqua tergiversatione celari, vel aliquo juris suf-

fragio excusari, & sic herendo notorietati facti non satis obviaretur scrupulis, ac anxietatibus timoratorum, quod tamen intendit Pontifex in sua Bulla; ideo jam dixi alibi ex Theologo Gallis non sufficere in Gallia notorietatem facti, sed requiri notorietatem Juris, hoc est, quod quis per sententiam iudicis declaretur, hoc crimen admisisse, seu hanc Censuram incurrisse, quod absolute & sine restrictione ad locum asserit D. Elman Doctor Lovan. scribens sic observat. 4. de Censuris, *Nequidem publicus Clerici percussor, cujus crimen nulla tergiversatione celari potest, aut nullo juris suffragio muniti, moderna praxi vitandus est, nisi sit denuntiatus, & merito, quia labor infinitus & scrupulus fidelibus suboretur, quinam nullo juris suffragio muniti possunt, &c.* Textum Bullae cum ejus asseritione vide in Tract. de Sacramentis in genere Dissert. 5. art. 6. De Excommunicatione autem ob percussorem Clerici specialiter infra §. 3.

Utrum cum, qui est publicè denuntiatus excommunicatus in uno loco, teneat vitare in altero loco, ubi non est nota ejus Excommunicatio? R. me teneri vitare occultè: & quamvis fortè possem salva justitia ipsum vitare etiam publicè, tum quia sententia Judicis potest absque injuria ubique vulgari, tum quia lex vetat communicare cum excommunicato non tolerato; videtur tamen, quod non teneat, imò fortè non possim, salva charitate cum novo ejus faem detrimento, nisi subsit justa causa; quod enim tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quantum autem ad Legem Ecclesiasticam veteratem communicationem cum excommunicato, convenit eam benignè interpretari, ut non obliget cum nova infamia Excommunicati. Confer, quae dixi dissert. 15. de Justitia art. 2. §. 5. Concl. 1.

Petes 2. Quodnam sit peccatum, & quae poena communicantis cum Excommunicato? Antè responsum observandum est, triplicem esse communicationem cum Excommunicatis. Una est in crimine contumaciae, ut si quis sit Excommunicatus propter detentionem rei alienae; & tu illi suades, ut non restituat, quod in Jure dicitur communicare in crimine criminoso. Secunda communicatio est in rebus sacris, seu quae Christianis, ut sunt Christiani, competunt: & sunt, duplicis generis; quaedam sunt primario & proprie Sacrae, ut Sacramenta, Sacrificium Missae, divina Officia, &c. Aliae sunt secundario Sacrae, ut collatio Beneficii, praesentatio, electio ad illud, Officium Judicis Ecclesiastici, &c. Tertia communicatio est in merè civilibus & politicis. His positis, R. 1. Qui communicat cum Excommunicato in crimine criminoso, sciens, ipsum ob illud esse excommunicatum, peccat mortaliter & incurrit penam excommunicationem, Cap. *Nuper*, & Cap. *Si Conclibit*. De sent. Excomm. R. 2. (Ibid. q. 23. art. 3. o.) Qui communicat cum excommunicato non tolerato in his, quae sunt primario divina, & sacra, peccat mortaliter; quia id repugnat graviter, tum auctoritati Ecclesiasticae Censurae, tum dignitati rerum sacrarum; nisi levitas materiae mortali excuset, ut recitare privatim, & sine scandalo aliquas horas cum Excommunicato, addesse cum illo Missae usque ad Evangelium. Idem probabiliter diceadum de communicatione in rebus secundario sacris: Collatio enim Beneficii, Praesentatio, Electio ad illud est gravis functio Ecclesiastica, & graviter est indecens Beneficium Ecclesiae haberi a membro ab Ecclesia praeciso. Idem dicendum videtur de Judice; non tamem de Advocato, Procuratore, Teste, &c. quia non sunt tam graves functiones, nec tam repugnantes fini excommunicationis. R. 3. Qui communicat cum Excommunicato non tolerato in merè civilibus, peccat tantum venialiter; quia ista communicatio videtur levis, nec multum repugnans fini Excommunicationis, quia primario, & directè prohibetur communicatio in rebus sacris, & spiritualibus, secundario, & indirectè in civilibus. Excipit, nisi communicatio sit frequens, & pertinax; tunc enim cederet in contemptum Ecclesiae. R. 4. (Ibid. art. 2. o.) Qui sine justa causa communicat cum Excommunicato non tolerato in rebus, sive Sacris, sive Civilibus, incurrit Excommunicationem minorem cap. *Statuimus* de sent. Excomm. in 6. Clericus autem, qui scienter, & spontè recipit in divinis Officiis Excommunicatum non toleratum, incurrit majorem Excommunicationem Papae reservatam cap. *Significavit* de sent. Excomm.

Petes 3. Quid sit Excommunicatio minor? R. (Ibid. q. 24. art. 1. o.) Quod sit, ut jam dixi, Censura Ecclesiastica per se, & directè privans susceptione Sacramentorum, cap. penult. de sentent. Excomm. & c. ult. de Clerico Excomm. Unde, qui hic Excommunicatione ligatus Sacramentum recipere, peccaret mortaliter, non tamen irregularitatem incurreret. Ab hanc autem Excommunicatione absolvere potest in foro interno quilibet confessarius, in foro externo quilibet ordinarius Judex Ecclesiasticus cap. *Nuper* de sent. Excomm. Dixi, *per se, & directè privans*, &c. quia juxta communem sententiam indirectè etiam privat sub peccato veniali administratione Sacramentorum, quatenus indecens videtur, Excommunicatum, qui pro-

prohibitum est suscipere Sacramenta, ea administrare. Item indirecte prohibet Excommunicationem eligi ad beneficia Ecclesiastica, non quod Electio sit ipso facto irrita; sed si *Scienter*, id est, conscius suæ Excommunicationis & inhabilitatis, *electus fuerit*, ejus electio est irritanda, ut habetur cap. ultimo de Clerico Excommunicato: & ex his patet, Excommunicationem differre a peccato mortali; qui enim est in peccato mortali, prohibetur sub peccato mortali non solum recipere, sed etiam administrare Sacramenta, & non est inhabilis ad Beneficia.

Petes 4. Utrum aliqua Universitas, seu Communitas possit excommunicari? R. negativè. (*Ibid. art. 5. o.*) Ita expressè in Jure Cap. Romana de Sent. Excomm. in 6. ubi Innocentius IV. dicit: *In Universitatem vel Collegium proferre Excommunicationis Sententiam, penitus prohibemus, volentes animarum pericula vitare, quod exinde sequi posset, cum nunquam contingeret innocuos hujusmodi Sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse contingerit, promulgetur.* Quibus verbis ipsa ratio legis continetur. (*Ibid.*) Cum enim Excommunicatio non feratur nisi propter peccatum mortale conjunctam habens contumaciam, non est verisimile totam Communitatem, nullo excepto, consentire contumaciter in peccatum; sique, ut dicit Canon, periculum foret, ne innocentes excommunicarentur. Sed quia ista lex prohibet tantum, & non irritat hujusmodi Excommunicationem, videtur, quod lata, licet illicitè, foret valida quantum ad nocentes. Si tamèn constaret, omnes & singulos esse reos & contumaces, possent, præmissa monitione, omnes singillatim determinatè excommunicari. Item valida & licita foret Excommunicatio, si omnes de Communitate, qui sunt rei & contumaces, excommunicarentur, quia sic caveretur periculum involvendi innocentes.

Petes 5. Utrum, qui semel est excommunicatus, possit ulterius excommunicari? R. (*Ibid. art. 6. o.*) posse ulterius excommunicari, vel per ejusdem Excommunicationis iterationem ad maiorem sui confusionem, ut sic a peccato resiliat, vel propter alias causas; & tunc tot sunt principales Excommunicationes, quot causæ, pro quibus aliquis excommunicatur.

Neque dicas, (*Ibid. ad 2.*) semel Excommunicatum privari suffragiis & communione Ecclesie, privationem autem non admittit magis & minus. Equidem privato secundum se, non admittit magis & minus, admittit tamèn ex parte causæ; & secundum hoc Excommunicatio potest iterari; magis enim est elongatus a suffragiis Ecclesie, qui plurès est excommunicatus, quam qui semel. Insuper sufficit, quod Excommunicatio nata sit causare hujusmodi privationem, etsi de facto non causet, quia causatum reperit; sicut ad peccatum mortale sufficit, quod natum sit privare gratia, licet, quando advenit subiecto jam per prius peccatum gratia privato, de facto non privet.

Petes 6. Utrum, qui est pluribus Excommunicationibus ligatus, possit absolvi ab una, & non ab omnibus? R. affirmativè: (*Ibid. q. 24. art. 3. o.*) quia Excommunicationes non habent inter se connexionem. Qui tamèn est ab eodem pluribus Excommunicationibus ligatus, quando ab illo absolvitur ab una, censetur ab omnibus absolvi, nisi contrarium exprimat, vel nisi ab uno tantum casu absolutionem impetret. Similiter, si sit excommunicatus a pluribus, qui tantum primam Excommunicationem confirmaverunt, absolutus a primo est absolutus ab omnibus (Sylvius excipit, si Papa confirmaverit Excommunicationem, tunc ab ipso petenda est absolutio; & ab ipso generaliter absolutus est absolutus ab omnibus Excommunicationibus inferiorum). Quando autem quis est excommunicatus pluribus Excommunicationibus a diversis principaliter agentibus, absolutus ab una non est propterea absolutus ab aliis, nisi omnes alii excommunicantes ad ejus petitionem absolutionem datam confirmaverint, vel nisi omnes uni demandaverint absolutionem.

Item, dum Confessarius absolvit indefinitè poenitentem, dicens: *Si teneris aliquo vinculo Excommunicationis, &c.* censetur absolvere ab omnibus Censuris, a quibus absolvi debet potestatem; absolvi enim in quantum potest, ita ut si Poenitens aliquis peccati, cui annexa est Censura; oblitus fuerit, aut ipse, vel Confessarius nesciat huic peccato annexam esse Censuram, absolvit nihilominus ab omnibus Censuris, a quibus Confessarius potest absolvere; sique dum recordatus fuerit peccati oblitus, potest absolvi a quolibet Confessario, quia Censura & reservatio sunt ablatæ.

Qui possit excommunicari, quam ob causam, qui possit absolvere ab Excommunicatione, patet ex dictis de Censuris in communi. Id unum dumtaxat hic est observandum circa absolutionem ab Excommunicatione, eam scilicet, qui non esse conferendam, nisi primò reus præstet juramentum se velle parere Ecclesie, id est, abstinere in posterum ab hujusmodi crimine: secundò, nisi prius satisfaciat parti læsæ; vel si hic & nunc

non possit, det cautionem; si neque id possit, præstet saltem juramentum satisfaciendi, quando poterit.

His tamèn ommissis, absolutio quamvis illicita erit valida, nisi feratur a Delegato, qui habet facultatem absolviendi cum hac limitatione: *Aliis absolutio sit nulla, vel aliter non absolvat nisi præstato juramento, & satisfactione peccati præstita.* Quòd si simpliciter in Delegatione ponatur: *Committimus facultatem absolviendi, præstato prius juramento, aut satisfactione peccati*, probabile est, his ommissis, absolutionem fore validam: quia, quando in commissione exprimitur aliquid, quod Jure communi inest, non inducitur nova forma pertinet ad substantiam actus, aut conditio sine qua non; sed admonetur tantum Delegatus, quid debeat facere.

§. III. De Excommunicatione ob percussione Clerici.

Quia ista Excommunicatio est frequentior, præter ea, quæ de illa jam hinc & inde diximus, juvat eam paulò latius exponere. Habetur cap. *Si quis suadente*, causa 17. q. 4. his verbis: *Si quis suadente diabolo in Clericum vel monachum manus violentas injecerit; anathematis vinculo subiacet: & nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolicæ conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Explicatur.

Dicitur: *Si, suadente Diabolo*; per quod significatur, injuriam illatam Clerico debere esse peccatum mortale in ratione sceleris; ita quòd intentio lædendi sit mortalis, & læsio exterior gravis; si enim adsit intentio graviter lædendi, sed læsio sit levis, non incurritur Excommunicatio; & vice versa, si læsio exterior sit gravis, & intentio lædendi non sit mortalis, non etiàm incurritur Excommunicatio; quia Ecclesia intendit punire peccatum mortale externum gravis injuriæ illatæ Clerico, quale non est nisi internum peccatum mortale, & gravis injuria exterior existat. Dicitur: *in Clericum*. Nominè Clerici intelliguntur etiàm prima tonsura initiati, si tamèn aliunde privilegio Clericatus non exciderint: pro quo vide, quæ scripsi in Tract. de Ordine Dissert. 1. art. 4. Pet. 5. Dicitur: *vel Monachum*. Nominè Monachi comprehenduntur omnes utriusque sexus Religiosi, etiàm Conversi & Conversæ, quamvis in aliquibus Religionibus propriè dictam professionem non emittant. Item Tertiarii & Tertiariæ, quæ collegialiter vivunt sub habitu & voto aliquo expresso; non verò, quæ in propriis domibus habitant, sicut declaravit Leo X. apud Rodriguez Tom. 2. QQ. Reg. q. 65. art. 5. Item juxta plures Eremitæ, qui emissio voto paupertatis, vel alia obligatione suscepta apud Prælatum Ecclesiasticum, alicui Ordini vel Ecclesie sunt addicti, non verò ii, qui nullam hujusmodi obligationem proficiunt. Dicitur: *Manus violentas injecerit*. Hæc manus injectio debet esse gravis, ut jam dictum est, si non in ratione læsionis, saltem in ratione injuriæ, ut spere in Clericum, sicut latius explicavi in Tract. de Poenit. Diss. 6. art. 6. §. 2. circa casus Papales: ubi etiàm dixi, mandantes, consulentes, & ratihabentes incurrere pariter Excommunicationem. Vide ibi plura. Adde nunc, etiamsi Clericus consentiat suæ percussioni, Excommunicationem a percussente incurrit; quia Canon non est tam in favorem Clerici, quam clericali Ordinis: qua ratione videtur eandem Excommunicationem incurri a Clerico, qui se malitiosè occideret, aut mutilaret.

Sunt autem plures causæ excusantes ab hac Excommunicatione. Prima est ignorantia; ut si ignores eum, quem percussit, esse Clericum; vel si volens percutere Petrum Clericum, ipsum non attingit, sed præter intentionem percussit Joannem præsentem, aut illac transeuntem, quia non percussit ex intentione Clericum. Secus, si putans percutere Petrum Clericum, percussit Joannem etiàm Clericum; quia in isto casu percussit voluntariè & ex intentione Clericum. Secunda causa excusans est, si quis percussit Clericum in sui corporis, famæ, pudicitiz, bonorum, aut alterius defensionem, cap. *Si verò*, & capite *Ex tenore* de Sentent. Excomm.

Tertia. Qui Clericum, cum uxore, matre, sorore, vel propria filia turpiter agentem, percussit in incontinenti, quamvis peccet, non incurrit Excommunicationem cap. *Si vero citato*. Quarta. Prælatus, aut Magister causa discipline percussit Clericum etiàm in sacris constitutum, non incurrit Excommunicationem, cap. *Si verò*, & cap. *Ex tenore*, citatis. Intelligit tamèn de percussione moderata, attentata ratione tunc culpæ, cum percussentis, & percussi; si enim excessus foret enormis, & valde indecens, non evitaretur Excommunicatio.

Quantum ad Patrem, certum est etiàm, non incurrere Excommunicationem percussendo causa disciplinæ eos, *qui sunt de familia, aut propinquos inferiorum graduum, in minoribus constitutos.* Cap. *Cum voluntate* de sentent. excomm. Sed dubium est de filio in sacris constituto. Quidam volunt, ex hujus percussione non incurri excommunicationem a Patre; quia, inquit,

major est potestas Patris in filium, quam Magistri in discipulum; Jura autem concedunt magistro castigare discipulum etiàm in sacris constitutum: ergo. Alii dicunt, in hoc casu incurri excommunicationem a Patre; quia cum Jus prohibens percussiones Clerici sit favorabile Ordini Clericali, non debet restringi, nisi expressè restringatur in Jure; nullum autem Jus concedit expressè Patri facultatem castigandi filium in sacris constitutum, sed tantum in minoribus constitutum. Argumenta autem a pari in positivis nihil probant. Et hæc sententia mihi videtur probabilior, & est tutior.

Ultima demquè causa excusans est imperfectio actus, qui non attingit usquè ad culpam mortalem, ut prius dictum est; qua ratione, si Clerici, vel Religiosi jocando se invicem percussant, & interim subrepat aliquis motus iræ, non incurritur excommunicationem. Quidam idem censent de pueris clericis rixantibus in Ecclesia, vel alibi, etiàm cum effusione sanguinis e naribus, vel modica effusione ex alia parte corporis. Verùm id eatenus videtur admittendum, quatenus factum excusari potest a peccato mortali.

Dicitur tamèn in textu Canonis: *Et nullus Episcopus ipsum absolvere præsumat*: quod intelligi debet de percussione enormi, aut saltem gravi, non de levi, seu modica, quæ juxta quosdam Theologos, nec membri mutilationem, nec dentium, aut multorum capillorum avulsionem, nec immo dicam sanguinis effusionem, nec corporis lacerationem attulit. Ab excommunicatione enim propter talem percussione absolvi potest Episcopus cap. *Perennis*, de sent. excomm. saltem secundum communem Doctorum interpretationem contra quosdam, qui volunt in hoc Canone contineri speciale privilegium, non Jus commune. Notant etiàm plures Canonistæ, omnes fermè Ordinum Prælatos hodiè posse ex Privilegiis absolvi suos subditos, etiamsi percussio sit enormis.

ARTICULUS II.

De Suspensione.

Dico 1. Sensus est Censura Ecclesiastica, privans Clericum usu potestatis, seu juris Ecclesiastici. Dicitur Censura Ecclesiastica, hoc est, poena medicinalis, ut patet ex art. 1. Diss. præced. Unde privationes in perpetuum, vel ad certum tempus, non sunt proprie Censuræ; manifestum est enim, quòd privato perpetuo non sit medicinalis, sed poena in meram vindictam; neque privato ad determinatum tempus, quia medicina debet cessare, ubi cessat morbus; potest autem reus a contumacia recedere ante tempus determinatum. Neque refert, quòd in Jure privationes perpetuæ, aut ad certum tempus, vocentur suspensiones; sunt equidem suspensiones, sed non sunt proprie Censuræ Ecclesiasticæ.

Dicitur *Privans usu*: quia suspensio non auferit ipsam potestatem sive ordinis, sive jurisdictionis, neque jus Beneficii Ecclesiastici, sed impedit tantum ejus usum, & exercitium; non in ordine ad communicationem cum fidelibus, hoc pertinet ad excommunicationem; ut dictum est; neque in ordine ad divina officia, ut sunt res sacræ, hoc pertinet ad interdictum, ut dicitur art. seq. Sed præcisè quatenus est usus potestatis, seu juris Ecclesiastici, ut hæc privatione reus respiciat; & ideo suspensio fertur tantum in Clericos.

Dico 2. Sensus alia est totalis ab Officio, & Beneficio; alia partialis ab Officio tantum, vel a Beneficio tantum. Sensus ab Officio, vel est a toto Officio, Ordinis scilicet, & Jurisdictionis, vel ab Officio Ordinis tantum, aut Jurisdictionis tantum. Item suspensio ab Officio, vel est a toto Officio sive Ordinis, sive Jurisdictionis, vel ab aliquo actu tantum, aut Ordinis, aut Jurisdictionis, seu quasi Jurisdictionis, ut est collatio Beneficii, vox suffragii, &c. Similiter suspensio a Beneficio, vel est a toto Beneficio, vel a parte Beneficii tantum, puta a lucrands distributionibus, a medietate fructuum, &c.

Quando suspensio fertur absolute, & absquè limitatione, neque ex adjunctis limitatio colligi potest, censenda est totalis ab Officio, & Beneficio. Similiter, quando fertur absolute ab Officio, censenda est totalis ab Officio Ordinis, & Jurisdictionis. Item, quando fertur absolute a Beneficio, intelligenda est totalis respectu Beneficii. Horum ratio est, quia propositio indefinita æquivalat universali; & non est ratio, cur intelligenda sit de una specie potius, quam de alia.

Ex dictis sequentia collige. Suspensio totaliter ab Officio, tam Ordinis, quam Jurisdictionis, prohibet exercere omnes illas actiones, quæ Clericis sunt propriæ, quales sunt omnes actiones Jurisdictionis Ecclesiasticæ, & omne exercitium Ordinis, aut Officii, quod solus Clericus competit. Sensus totaliter ab officio illicitè confertur Beneficium cap. *Quo delictus*, de consecrat. Ratio est; quia, cum Beneficium detur propter Officium, illicitè confertur ei, qui non potest præstare Officium

Theol. Billuart Paris Tertii.

c. ultimo *De Clerico Excommunicato*. Suspensio totaliter ab Officio non est propterea suspensio a Beneficio; quia ista poena sunt diversæ, & una potest mandari executioni sine altera; potest enim suspensus ab Officio gerere administrationem sui Beneficii, & fructus percipere; Officio autem satisfacere quantum potest, sive per se recitando Horas, sive per Vicarium ad alia munia Ecclesiastica deputatum.

Suspensio ab Ordine tantum potest exercere omnes actus Jurisdictionis, qui Ordinis actualem usum non requirunt; sic Episcopus suspensus ab Ordine, licet, nec celebrare, nec excipere Confessiones possit, potest tamèn alteri dare facultatem excipiendi Confessiones. Suspensus a Jurisdictione tantum, potest vice versa exercere omnes Ordinis actus, qui non requirunt Jurisdictionem; sic potest celebrare, dare Communionem ut communis Sacerdos; non potest autem Confessiones excipere, quia ad hoc requiritur Jurisdictio, neque cætera Sacramenta suis subditis ut Pastor ordinarius conferre.

Suspensio ab Ordine inferiori non est suspensio a superiori, v. gr. suspensus ab Officio Diaconatus non est suspensus ab Officio Sacerdotis, nisi quatenus exercet actum Sacerdotii, qui requirit actum Diaconatus; sicut, juxta quosdam, si celebret Missam, in qua legitur Evangelium, quod pertinet ad Diaconum. Vice versa suspensus ab Ordine superiori non est suspensus ab inferiori; sic suspensus ab Officio Sacerdotis potest fungi Officio Diaconi.

Suspensio ab aliquo tantum actu Ordinis, aut Jurisdictionis potest alios exercere; sic suspensus a Missa, potest Confessiones audire, & e contra. Suspensio totaliter a Beneficio non potest gerere ejus administrationem, nec percipere ullos fructus, sive quotidianos, sive principales, nisi in quantum sunt necessarij ad victum, si tamèn ab eo non pendat ut absolvat; alioquin, sibi imputet: & si se administrationi Beneficii ingerat, ipso jure Beneficio privatur cap. *Capientes* §. *Ceterum* de Elect. in 6. Non tamèn suspensus totaliter amittit jus, quòd ipsi ratione Beneficii competit conferendi, aut eligendi, quia hæc non sunt propriè fructus Beneficii, sed actus Officii, seu Jurisdictionis, quæ ipsi competunt ratione Beneficii, quo non privatur per suspensionem.

Nota finaliter, quòd, cum suspensio, sicut, & excommunicatio immediate afficiat personam, ipsam ubivis locorum committeret. Unde suspensus, aut excommunicatus in uno loco ubique est ligatus, donec absolvat.

ARTICULUS III.

De Interdictis.

Dico 1. Interdictum est Censura Ecclesiastica prohibens usum quorundam Sacramentorum, omnium divinarum officiorum, & Sepultura Ecclesiasticæ. Differt a suspensione, quæ prohibet tantum usum potestatis, seu juris Ecclesiastici, & ab Excommunicatione, non solum quia Excommunicatio privat rebus tam sacris, quam civilibus, sed etiam quia privat rebus sacris, proò continent communicationem cum fidelibus; interdictum verò rebus assignatis, præcisè quatenus sacræ sunt. Unde, licet hæc tres Censuræ in hæc conveniant, quòd privent rebus spiritualibus, differunt tamèn quatenus eis privant sub diversa ratione formali.

Dico 2. Interdictum aliud est locale, quòd immediate locum afficit, prohibendo, fieri in illis sacras functiones. Aliud est personale, quòd immediate personam afficit, prohibendo ipsi participare his sacris functionibus. Si utrumque, & locum, & personam afficiat, est mixtum. Tam locale, quam personale subdividitur in generale, & particulare. Generale locale est, quòd fertur in Regnum, Provinciam, Civitatem, Parochiam, Villam, Castrum, &c. Particulare, quòd fertur in hanc, vel illam Ecclesiam. Quando interdicitur Civitas, Castrum, aut Villa, interdicitur etiàm Suburbia, licet alterius Diocesis; & quando interdicitur Ecclesia, interdicitur Capellæ contigua, & Coemeteria contigua, Cap. *Si Civitas* de sent. Excomm. in 6.

Interdictum generale personale est, quòd fertur in totum aliquod corpus politicum, v. gr. in totam gentem unius Regni, in populum alicujus Civitatis, aut Pagi, in Collegium, Capitulum, Academiam, &c. Afficit omnes partes Communitatis, etiàm innocentes. Particulare personale est, quòd fertur in aliquos particulares, puta, in Episcopum, in Prætorum, Parochum, &c. vel etiam in omnes, & singulos, qui tale crimen commiserint. Si dicat, videri injustum, innocentes poena Interdicti puniri. R. Innocentes per se Interdicto non ligari, sed per accidens, quatenus sunt in tali loco interdicto, vel in tant membra Communitatis interdictæ: unde, si locum mutent, cessat in illis Interdictum. Quapropter non propriè puniuntur per Interdictum, licet per accidens damnum sentiant, quatenus id est bono communi necessarium. Nota, quòd Interdicto Clero,

non sit interdictus populus, nec e converso, Cap. Si sententia de Sent. Excomm. in 6. Unde Clero interdictio, potest populus advocare alios Clericos, qui divina officia celebrent.

Dico 3. Effectus Interdicti totalis sunt tres, scilicet, privatio usus, tam activi, quam passivi, certorum Sacramentorum, omnium divinorum officiorum, & Sepulturæ Ecclesiasticæ. Patet ex ejus definitione. Dixi totalis; quia potest fieri Interdictum quantum ad aliquem tantum effectum, ut dicitur est de Suspensione: Interdicti enim, & Suspensionis effectus non sunt inter se connexi, sicut in Excommunicatione. Circa 1. effectum. Dicitur, Certorum Sacramentorum; quia tempore Interdicti, & in Ecclesia interdicta possunt conferri Sacramenta Baptismi, & Confirmationis Cap. Responsio de Sent. Excomm. & Cap. Quoniam eodem titulo in 6. Item potest conferri Eucharistia mortalibus per modum Viatici, Cap. Permissum de Sent. Excomm. Item Sacramentum Pœnitentiæ potest tempore Interdicti administrari omnibus, præterquam iis, propter quorum culpam Interdictum latum est; vel qui ad perpetrandum delictum auxilium, aut consilium præbuerunt, nisi de delicto satisfecerint, aut satisfaciendi cautionem dederint; aut si non possint, juramentum præstiterint, Cap. Alma de Sent. Excomm. in 6. Quantum ad Sacramenta Extreme-unctionis, & ordinis ministrari non possunt tempore Interdicti; quia Cap. Si sententia de Sent. Excomm. in 6. generaliter prohibetur suscipere Sacramenta in Interdictio, nisi in casibus a Jure exceptis; nullibi autem excipiuntur Sacramenta Extreme-unctionis, & Ordinis. Propter eandem rationem videtur multis Matrimonium etiam non posse contrahi tempore Interdicti, quia, quamvis contrahentes sint Ministri, est nihilominus Sacramentum, & nullibi excipitur in Jure: verum id plures alii negant, quia, cum Matrimonium sit maximè necessarium Communitati, Ecclesia non intendit illud interdiceret. Equidem non diffiteor esse inconveniens, si saltem in Interdictio generali Matrimonium impediretur.

Secundus effectus est prohibitio celebrationis, & auditionis divinorum officiorum Cap. Si sententia, & Cap. ultimo de Sent. Excomm. in 6. Nomina divinorum officiorum intelliguntur Missa, omnis publica, & solemnis Oratio, instituta ab Ecclesia ut a Clericis celebretur, publica Horarum Canonicarum recitatio, non privata: Unde, qui Breviario tenentur, ab ejus obligatione non eximuntur, possuntque illud recitare bini, & bini etiam in Ecclesia, modo recitationis privatæ modum servent.

Hujus autem Legis rigorem temperavit Bonifacius VIII. Cap. Alma de Sent. Excomm. in 6. Ubi, postquam exposuit mala, quæ sequuntur ex Interdictio secundum rigorem antiqui Juris, & inquisit posse administrari Sacramentum Pœnitentiæ, ut supra dictum est, sic prosequitur: Adficiunt præterea, quod singulis diebus in Ecclesiis, & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur divina officia, sicut prius (ante Interdictum) submissa tamen voce, & januis clausis, & campanis non pulsatis (nequidem campana ad elevationem)... In festivitibus vero Natalis Domini, Pasche, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ campanæ pulsantur, & januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, Excommunicationis proventus excludit, sed interdictis admittit... Sic tamèn quod illi, propter quorum excessum interdictum hujusmodi est prolatum, Altari nullatenus appropinquent.

Circa quod Decretum notant Juris Interpretes t. intelligendum esse de Interdictio generali; si enim Ecclesia esset specialiter interdicta, non possent modo dicto in ea celebrari divina officia. 2. Hoc Decretum respicere tantum Clericos, & eorum Vicarios, non Laicos, etsi sint Clericorum domestici, quibus audite officia hoc Decreto non conceditur. 3. Divina officia voce ita submissa debere peragi, ut ab iis, qui foris sunt, percipi non possint: non tamèn prohibetur Campanarum sonus ad Concionem, & ad Angelus. 4. Si interdicti specialiter, & denunciati officio divino adsint, & expelli non possint, Clerici debent cessare, & Sacerdos, si nondum inceptus sit Canon, ab Altari recedere. Colligitur ex his verbis Canonis, interdictis excludit. 5. Plures, & graves Auctores, Paludanus, Soto, Avila, &c. existimant, nomine Nativitatis, Paschatis, & Pentecostes, non unum diem, sed duos, vel tres dies Festos sequentes intelligi, ipsamque festivitatem Resurrectionis, & Pentecostes inchoari a Missa Vigilæ, quæ cantatur Sabbato præcedenti.

Tertius effectus est privatio Sepulturæ Ecclesiasticæ Cap. Quod in te de Pœnit. & remis. ubi additur: Concedimus tamèn ex gratia, ut Clerici decedentes, qui tamèn servaverint Interdictum, in Cæmeterio Ecclesiæ (non in Ecclesiâ) sine Campanarum pulsationibus, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur. Excipit quatuor Solemnitates assignatas, in quibus solennes Exequæ Clericorum possunt fieri, sicut alia divina officia.

Quantum ad interdictum personale videtur, quod, si interdictus non sit denunciatus, aut ejus Communitas, si Communitas sit interdicta, possit post Bullam: Ad evitanda sepeliri in loco sacro; nam quibus visis communicamus, etiam

mortalis communicare possumus. Cap. Sanè 24. q. 2.

Potes, utrum violatio Interdicti sit semper peccatum mortale? R. 1. Clericus, violans Interdictum, sive locale, sive personale, peccat mortaliter; quia lex Interdicti directè Clericos respicit, & est materia gravis. Idem dicendum est de Laico, qui violat Interdictum personale, quod pariter directè illum afficit. R. 2. Si Laicus personaliter non interdictus violat Interdictum locale vi, vel fraude, ac mendacis se ingerens divinis Officiis, videtur, quod peccet etiam mortaliter propter injuriam, quam in re gravi infert Ministris Ecclesiæ. Idem videtur dicendum, si etiam sine vi, vel fraude accipiat Eucharistiam in loco interdicto, quia saltem cooperatur peccato mortali Clerici R. 3. Si Laicus sine vi, vel fraude tempore Interdicti localis adsit divinis Officiis, peccat quidem; quia lex Interdicti licet directè respiciat Clericos, ne Laicos admittant ad divina officia Cap. Responsio de Sent. Excomm. consequenter tamèn, & indirectè respicit Laicos, ne se ingerant; sicut, licet Excommunicatio directè afficiat Excommunicatum, ne communicet cum aliis, consequenter tamèn afficit alios, ne communicent cum Excommunicato. Et colligitur ex Cap. Si sententia de Sent. Excomm. in 6. ubi dicitur, Laicos tempore Interdicti posse audire divina extra locum interdictum: ergo a contrario non possunt audire divina in loco interdicto. Istud tamèn peccatum non videtur mortale; quia, ut dicitur est, lex Interdicti non afficit directè, & principaliter Laicos, idèque non tam strictè adstringuntur, ac Clerici.

De Cessatione a divinis, Depositione, & Degradatione sufficienter dixi Art. 1. præced. Dissert.

ARTICULUS IV.

De Irregularitate.

§. I. Quid, & quotuplex sit Irregularitas.

Dico 1. Irregularitas est Impedimentum Canonicum, impediens per se primò, & directè susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum: secundariò, & indirectè eorum exercitium. Dicitur Impedimentum, id est, inhabilitas moralis est se perpetua alicujus personæ ad suscipiendos Ordines Ecclesiasticos; & si susceperit, ad eos exercecendos. Per quod distinguitur a Censura, quæ ex propria ratione infigitur propter culpam, ut poena medicinalis, & temporalis, sicut prius diximus. Dicitur Impedimentum impediens, non irritans. Unde irregularitas validè, licet illicite suscipi Ordines, & eos exerceat; & quia per Irregularitatem non privatur Jurisdictione, validè etiam absolvit sacramentaliter, illicite tamèn, quia ibi intervenit actus Ordinis. Dicitur Impedimentum Canonicum; quia solo Jure Ecclesiastico, coque communi potest induci Irregularitas. Unde nulla Irregularitas adstruenda est, nisi sit in Jure expressa, vel inducta generaliter, & constanti consuetudine, quæ habeat vim legis. Nec in hoc valent argumenta a paritate. Quapropter neque mulier, neque non baptizatus sunt propriè irregulares; quia non Jure humano, sed divino sunt inhabiles ad Ordines Ecclesiasticos. Dicitur Impediens per se primò, & directè susceptionem, &c. per quod specialiter differt a Suspensione, cum qua videtur habere aliquam similitudinem. Suspendio enim per se primò impedit exercitium Ordinum susceptorum, & afficit tantum Clericos. Irregularitas autem per se primò impedit susceptionem Ordinum, & secundariò tantum illorum exercitium, & afficit tam Laicos, quam Clericos. Per Ordinem Ecclesiasticum hic intelligitur etiam prima Tonsura.

Hinc sequitur, irregularem posse licitè obire omnia munia sacra, quæ a Laicis exerceri possunt, ut sunt actus minorum Ordinum, inseruire sacrificanti, canere in Ecclesia, suscipere Sacramenta, excepto Sacramento Ordinis, & prima Tonsura. Sequitur 2. Irregularem non privari administratione, & fructibus sui Beneficii, si per Vicarium præter officium. Si tamèn dispensatio non sit brevi impetranda, aut tale sit Beneficium, quod officium per se præstare debet; ipse tenetur spontè resignare, aut debet illo privari Cap. Ex litteris De Excess. Prælat.

Utam verò collatio Beneficii facta irregulari, etiam occulto, sit ipso jure nulla, ita ut in conscientia teneatur illud resignare, disputant Theologi. Communior, & tutior sententia affirmat; tum quia hoc est conformius naturæ Irregularitatis, qua homo videtur reddi inhabilis ad jura Ecclesiastica; tum quia Beneficium datur propter officium, irregularis autem sæpè non potest exercere officium annexum Beneficio, tum & maxime, quia sic videtur declaratum in Trid. sess. 14. cap. 7. de Ref. ubi dicitur, quod, qui homicidium commiserit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua Ecclesiastica Beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni Ordine, ac Beneficio, & officio Ecclesiastico (scilicet nondum adeptis) perpetuò careat.

Di-

Dico 2. Dividitur Irregularitas in Irregularitatem ex delicto, & in Irregularitatem ex defectu; qui non sit delictum. Irregularitas ex defectu, alia est ex defectu corporis, alia ex defectu animæ, alia ex defectu lenitatis, alia ex defectu significationis, seu Sacramenti; quas infra explicabimus. Similiter Irregularitas ex delicto est multiplex ratione plurium delictorum, ut etiam mòx exponemus. Item dividitur Irregularitas in totalem, & partialem. Totalis est, quæ privat omni Ordine suscipiendo, & omni Ordinum exercitio, ut quæ oritur ex homicidio, bigamia, &c. Partialis est, quæ privat tantum aliquo actu Ordinis; ut si v. gr. Sacerdos amittat pollicem, est irregularis ad celebrandum, non ad Confessiones excipiendas, & alia munia Sacerdotii.

§. II. Expenduntur Irregularitates ex delicto.

Prima Irregularitas ex delicto est ea, quæ contrahitur ex homicidio voluntario, aut mutilatione; & hæc est non solum ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis, si homicidium sit justum. De utraque abundantissimè dixi Diss. 10. de Justitia art. 1. per plures §§. videat Lector; tedious enim foret hæc omnia repetere.

Secunda Irregularitas ex delicto contrahitur ex iteratione absoluta Baptismi. Unde absolute rebaptizans, rebaptizanti ministrans, si crimen utriusque sit notorium, est irregularis ad superiores Ordines suscipiendos. Item qui se absolute rebaptizari sinit, est similiter irregularis. De ministrante rebaptizanti constat ex c. 2. de Apostatis: ex quo communiter infertur idem a forlori de rebaptizante; quia nec alibi, nec aliter in Jure exprimitur hujus Irregularitas, sed est talis praxis Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres, ut aliunde habet vim legis. De rebaptizato constat ex c. Afros D. 98. c. Qui in qualibet 1. q. 7. & c. Eos quos de Conser. D. 4.

Dixi 1. Absolute rebaptizans, & ejus Minister, item absolute rebaptizatus; quia lex poenalis intelligitur, effectu secuto; qui autem baptizatur, aut rebaptizatur sub conditione, si jam sit baptizatus, non verè rebaptizatur. Dixi 2. Si crimen rebaptizantis, & ministrantis sit notorium. De ministrante habetur expressè citato cap. 2. De Apostatis; ex quo plures idem inferunt de rebaptizante, cum ejus irregularitas alibi non exprimat, quod tamèn ab aliis etiam pluribus non admittitur. Dixi 3. Ad superiores Ordines suscipiendos. Ità de ministrante c. 2. cit. De Apostatis. Ex quo videtur, majorem poenam non esse imponendam rebaptizanti, ut modò dicebam de notorietate criminis, & aliunde odiosa sunt restringenda. Ad hæc dissem reducitur Irregularitas, quam incurrit, qui ab Hæretico se baptizari sinit cit. c. Afros, & cap. Qui in qualibet. Item Neophytus, seu Novitius in fide susceptus per Baptismum ordinari non debet ex Apostolo 1. Tim. 3. & ex can. 2. Conelli Niceni I.

Tertia. Clericus, exercens actum Ordinis, quem non habet, suspenditur ad biennium, vel triennium pro beneplacito Episcopi ab Ordine, quem habet, & sit irregularis ad suscipiendos posteriores Ordines c. Si quis, & cap. Ex litteris de Clerico non ordinato ministrante. Dixi 1. Clericus: quia dubium est, an etiam Laicus exercens actum Ordinis incurrat hæc Irregularitatem. Partim affirmanti favet cap. Si quis; dicitur enim generaliter: Si quis baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, &c. Partim neganti favet Rubrica, quæ sic est De Clerico non ordinato ministrante, & titulus dicti cap. Si quis, qui sic legitur: Clericus, ministrans in pertinentibus ad ordinem, quem non habet, deponendus est, & amplius non ordinandus. Hinc divisi sunt Auctores. Quia tamèn Laicus non exprimitur in dicto capite, & ipsi favent rubrica, & titulus, atque odiosa sunt restringenda, sententia negans videtur aliquatenus probabilior. Dixi: ad suscipiendos posteriores Ordines, & non ad eos exercecendos: quia, licet c. Si quis dicitur absolute, abiciatur de Ecclesia, videtur iste rigor temperatus per caput sequens: Ex litteris, ubi de Diacono, qui celebraverat; statuitur, quod ad Sacerdotis officium non poterit promoveri: A Diaconatu quoque biennio, vel triennio pro tua (Episcopi) maneat provisione suspensus.

Quarta. Clericus, qui Censuram, hoc est, Excommunicationem majorem, suspensionem ab Ordine, & Interdictum sive personale, sive locale, violat exercendo actum sui Ordinis, fit irregularis c. Cum æterni de Sent. & re judic. in 6. c. Is qui, §. Is vero, & cap. Is, cui de Sent. Excomm. in 6. Estque univiersus Doctorum sententia, & communis Ecclesiæ praxis. Dixi: Exercecdo actum sui Ordinis, id est, qui sit tali Ordini proprius, ut eb alio, qui hunc Ordinem non habet, exerceri non possit. Undè Minoristæ exercendo actus suorum Ordinum vix hæc Irregularitatem contrahere possunt, cum ubique ex consuetudine exercantur a Laicis. Item, qui Censura ligatus exercet simpliciter actum jurisdictionis, ut si Episcopus det facultatem excipiendi Confessiones, non fit irregularis, neque qui cantat Theolog. Billuart Pars Tertia.

cum aliis in Choro, modò Officiatorem non agat.

Quinta. Hæretici, eorum fautores & receptatores, & Hæreticorum filii usque ad secundam generationem contrahunt Irregularitatem c. Ventum est 1. q. 1. c. Conveniensibus, c. Sabuberrimum 1. q. 7. & c. Quicumque §. Hæretici de Hæreticis in 6. Et, quamvis quidam ista Jura interpretentur de Hæreticis occultis, alia tamèn Jura loquuntur de Hæreticis publicis, & Bonifacius VIII. cap. Statutum 2. de Hæreticis in 6. exponens cap. Quicumque, videtur illud intelligere de Hæreticis publicis; loquitur enim de Hæreticis, qui probantur esse tales, aut tales decessisse. Idem Bonifacius eodem cap. Statutum declarat filios Hæreticorum tantum, qui descendunt per lineam paternam, contrahere Irregularitatem usque ad secundam generationem; descendentes autem per lineam maternam usque ad primam tantum. Item declarat, id esse intelligendum de filiis Hæreticorum, qui probantur esse tales, vel etiam tales decessisse; secus, si ante mortem fuerint Ecclesiæ reconciliati. Ceterum in Provinciis, in quibus vivunt permixti Catholici cum Hæreticis, aut quæ Hæreticis sunt vicinæ, videtur, hæc legem non esse in usu pro filiis hæreticorum, quos Episcopi ordinant non secus, ac alios.

Sexta Irregularitas ex delicto contrahitur ex infamia, c. Infames 6. q. 1. & c. Omnipotens de accus. Infamia est duplex, Juris & Facti. Infamia Juris est, quæ per sententiam Judicis incurritur, vel contrahitur per crimen publicum, aut conditionem, cui a Jure annexa est infamia, qualia sunt Perjurium in judicio, Simonia, Sodomia, Sacrilegium, improbum Ecnus, in quo usuræ usurarum exiguntur, Hæresis, raprus mulieris, & utriusque fautor, crimen læsæ Mæstatis, & hostilis persecutio Cardinalium (quorum duorum ultimorum infamia transit ad filios & nepotes per lineam masculinam ab eis, qui hæc committunt, descendentes) Histriones, & in pluribus Nationibus Carnifices. Ex his itaque omnibus contrahitur Irregularitas, si tamèn sint publica, quia peccatum occultum non infamat, & habetur cap. ultimo de tempore Ordinandorum. Infamia Facti est publica opinio commissi criminis, per quod fama graviter læditur, ut est adulterium, concubitus, furtum, &c. Hæc infamia non inducit propriè dictam Irregularitatem, sed tantum aliquod impedimentum temporale suscipiendi Ordines, aut in iis ministrandi, ob indecentiam durante infamia, quæ tollitur per emendationem vitæ, c. Si duo 35. q. 6. c. Testimonium de test. & attest.

§. III. Exponuntur Irregularitates ex defectu.

Quadruplex est, ut dixi §. 1. Irregularitatis ex defectu, scilicet ex defectu corporis, animæ, lenitatis, & significationis, seu Sacramenti. Quantum ad Irregularitatem ex defectu corporis sit hæc Regula generalis. Qui ex defectu corporis non potest absolute, aut sine periculo, vel scandalo, vel gravi indecentia exercere functiones alicujus Ordinis, est respectu illius Irregularis c. 2. de Clerico ægrotante, & toto Tit. de corpore vitiat. Hinc inferes 1. cœcum, aut truncatum pollicem non posse promovari ad Sacerdotium, & promotum non posse celebrare; potest tamèn Confessiones audire, & alia Sacerdotii munia obire. 2. Enormiter gibbosus, aut ita claudus, ut sine baculo in altari consistere non possit, est Irregularis. 3. Is, cui erutus est oculus, aut nasus amputatus, propter gravem deformitatem est Irregularis, secus de amputatione aurium, si crinibus, aut coma cooperi possint. Si verò non sit erutus oculus, sed tantum careat virtute videndi, etiamsi sit sinister, seu, ut dicitur, Canonis, non est Irregularis, modò tamèn sine gravi contorsione faciei possit Canonem legere, in quo juvari potest ex aptatione libri. 4. Arreptiti & Epileptici sunt Irregulares, sic ut nunquam possint ordinari: Ordinati verò ministrare non possint, nisi quousque unius anni spatium per discretionem Episcopi inveniantur sanati, c. Communiter, D. 33. & colligitur ex c. fin. 15. q. 1. sicque docetur communiter §. Abstemiis est Irregularis respectu Sacerdotii 6. Hermaphroditus, etiamsi sexus virilis prævaleat, est absolute Irregularis propter gravem indecentiam, & ut ità dicam, monstruositatem. Idem dic de eo, qui habet membra superflua, si gravem afferant deformitatem; secus, si levem. 7. Eunuchus ex sua culpa est Irregularis; secus, sine sua culpa, ut si vi, aut causa infirmitatis sit castratus, c. Si quis a Medicis & sequentibus d. 55. c. Ex parte 2. de corp. vitiat. Probabilis est, esse sua culpa Eunuchum, & idè irregularem, qui castitatis, vel vocis servandæ causa se castrat, vel se castrari sinit. Error vulgi est, quod is, cui membrum est abscissum, debeat illud pulverizatum portare, ut evitet Irregularitatem; non enim inde restituitur integritas corporis, nec impeditur deformitas.

Ad hæc Irregularitatem reducitur defectus natalium (Suppl. q. 19. art. 5. o.) Itaque omnes illegitimi, sive naturalis, sive Notuli, aut Spurii, etiam occultis, sunt Irregulares c. 1. & 2.

de filiis presb. & c. 1. eodem tit. in 6. Excipe, nisi fiant Religiosi; tunc enim possunt sine dispensatione promoveri ad omnes Ordines, non tamen ad Prælaturos c. 1. cit. de filiis presb. Quantum ad proles expositas regulariter habendæ sunt pro illegitimis, consequenter pro Irregularibus; quia ex communitate accidentibus jure præsumitur esse illegitimas, & hæc fortior præsumptio elidit præsumptionem, quæ aliis in pari dubio esset in favorem proli. Ad hanc iterum Irregularitatem pertinet servitus. Servus itaque, seu mancipium, ordinari non potest sine consensu Domini: si cum ejus consensu ordinetur, sit liber; si sine ejus consensu, potest se redimere: quod si se non redimat, satisfacit Domino exhibendo ei obsequia, quæ ejus characterem non dedecent: tota Distinct. 54.

Ex defectu animæ sunt Irregulares non solum Hæretici, eorum fautores, & receptatores, & Hæreticorum filii, ut jam dictum est, sed etiam omnino illiterati Cap. *Illiteratos* D. 36. & Concil. Trid. sess. 23. c. 4. 11. & 14. Requiritur autem pro prima Tonsura initiandis, quod sciunt legere, & scribere; pro minoribus Ordinibus, quod callent linguam latinam; pro Sacerdotio, quod sciunt, quæ sunt necessaria munus Sacerdotii obediend.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in occisione, vel mutilatione licita, & justa, respectivè ad Ministros Justitiæ, Judices, Advocatos, Accusatores, Testes, & ceteros concurrentes, & ad militantes in Bello justo; item in homicidio casuali, latissimè dixi loco præcit. de Justitiâ Diss. 10. art. 10. per plures §§. Require illic.

Irregularitas (Suppl. q. 66. art. 2.) ex defectu significationis, seu Sacramenti contrahitur ex Bigamia c. *Debitum* de Bigamia, & c. *Acutus* D. 26. cum enim matrimonium consummatum juxta Apost. Ephes. 5. significet conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, & Christus sibi conjunxerit Ecclesiam ab alio non assumptam, ista significatio est imperfecta, & deficiens in Matrimonio cum duabus, aut cum una corrupta, sive vidua, sive fornicaria.

Triplex est Bigamia inducens Irregularitatem, scilicet vera, & propriè dicta, interpretativa, & similitudinaria. Vera, & propriè dicta est, quando quis validè contraxit, & consummavit Matrimonium cum duabus. Addo, *Et consummavit*; quod debet semper intelligi in hac materia. Matrimonium enim sive viri, sive mulieris nunquam inducit Bigamiam, & Irregularitatem, nisi fuerit consummatum; quia non pertinet ad significandum illud matrimonium, quod est inter Christum, & Ecclesiam per carnis assumptionem.

Bigamia interpretativa est, quæ non fundatur in duplici Matrimonio consummato, sed in aliqua ejus imitatione. Est triplex. Prima, quando quis contrahit cum aliqua, quæ ab alio cognita fuit, sive licitè, sive illicitè, sive voluntariè, sive per vim, c. *Curandum*, c. *Præcipimus*, & c. *Lector*, D. 34. Dixi ab alio, quia, si ab ipso contrahente prius fuerit cognita, non inducit Irregularitatem, quia caro non est divisa. Secunda, quando quis cognoscit uxorem suam post adulterium ab ipsa commissum, c. *Si Latæ uxor*, & c. *Si cuius ead.* D. 34. quia talis conjunctio desinit perfectè significare conjunctionem castam Christi cum Ecclesia. Idque verum est juxta communem Theologorum interpretationem, sive vir adulterium uxoris sciverit, sive non. Item, sive uxor volens, sive per vim cognita fuerit. Et colligitur ex c. cit. *Si cuius*. Tertia, quando intervenit duplex Matrimonium, sive simul, sive successive, unum validum, alterum invalidum, vel utrumque invalidum, sed utrumque consummatum. Item, si Clericus in sacris constitutus primas nuptias cum vidua inierit. Quidam hanc Irregularitatem colligunt ex Can. 16. & 18. Apostolorum, & ex Cap. *Nuptæ* de Bigamis; sed præterquam quod Canones Apostolici non sint tantæ auctoritatis, præsentem casum non expriment, & Cap. *Nuptæ* non loquitur generalitèr, sed tantum de Clerico in sacris constituto, qui contrahit secundas nuptias, vel primas cum vidua. Quapropter meliùs probatur hæc Irregularitas ex communi sensu Doctorum, & generali consuetudine Ecclesiæ; ut enim jam observavi cum aliis, possunt Censuræ, & Irregularitates, alias in Jure non expressæ, vim habere per generalem Ecclesiæ usum, communi Doctorum sensu introductum. Bigamia similitudinaria est, quando Clericus in sacris constitutus, aut Religiosus professus contrahit Matrimonium, etsi invalidum, & cum Virgine Cap. *Quotquot* 27. q. 1. c. 1. *Qui Clerici*, & *voventes*, & Cap. *Sanè* de Clericis conjugatis.

Nota, Baptizatum incurere Irregularitatem Bigamiæ ex matrimonio, antiè Baptizatum contractis Cap. *Si quis viduam* D. 24.

§. IV. Quis possit dispensare in Irregularitate?

Dico 1. Papa, & ipse solus potest jure ordinario dispensare in Irregularitate. Ratio est; quia omnes Irregularitates sunt Juris Ecclesiastici universalis. Papa autem, & ipse solus

potest dispensare in Jure universali Canonico, seu Ecclesiastico. Raro dispensat summus Pontifex in Irregularitatibus ex Bigamia propriè dicta, ex homicidio voluntario illicito, & publico, & ex defectu corporis, quando est magna deformitas. Ad Episcopum autem pertinet judicare, an magna, vel parva sit deformitas.

Dico 2. Episcopi ex concessione Trid. sess. 24. Cap. 6. de Ref. possunt dispensare in omni Irregularitate proveniente ex crimine occulto, excepto homicidio voluntario. Occultum autem dicitur, quod non est notorium, etiam si a tribus, vel quatuor in occulto sciatur, & possit probari judicialitèr; item, quamvis sit de eo rumor sparsus. Quamdiu autem crimen sub foro contentioso versatur, etsi videatur probari non posse, non potest Episcopus dispensare in Irregularitate ex illo orta. Quod si accusatus, quamvis re ipsa reus, judicialitèr declaretur innocens, potest dispensari ab Episcopo; quia tunc delictum redit in eundem statum, in quo erat, antequam ad forum contentiosum deduceretur. Possunt etiam Episcopi dispensare cum illegitimis ad minores Ordines, & ad Beneficium simplex c. 1. de filiis presb. excepto Canonatu Cathedralis Ecclesiæ, qui requirit Ordinem sacrum, Trid. sess. 24. Cap. 12. Item possunt dispensare in Irregularitate ex Bigamia similitudinaria, si Clericus spontè respicitur, Cap. 1. *Qui Clerici*, & *voventes*. In aliis vero Irregularitatibus ex defectu nihil possunt.

Dico 3. Prælati Ordinum mendicantium, etiam Conventuales 1. possunt erga suos subditos, quod possunt Episcopi erga suos Diocesanos; hoc ipso enim quo Pontifices mendicantes exemerant a Jurisdictione Episcoporum, censetur illam eorum Prælati concessisse, cum id sit necessarium ad gubernationem tam spirituales, quam temporales Religiosorum. Et hanc jurisdictionem, quia non ex commissione temporali, sed virtute legis, seu consuetudinis eis competit, sed delegare. 2. Possunt dispensare cum suis subditis in omnibus aliis Irregularitatibus, exceptis tribus, scilicet, Bigamia, homicidio voluntario, & mutilatione; quibus additur enormis defectus corporis, in quo non solet Pontifex dispensare. Ità Sixtus IV. Bulla *Dum attendit*. Item ex Bulla, quæ est mare magnum Prædicatorum, & aliis, de quibus vide Rodriguez Tom. 1. QQ. Reg. 24. art. 2. & seq. & *Lezma* Tom. 11. QQ. Reg. cap. 18. num. 40. & seq. Nota, quod Irregularitas non tollatur per absolutionem, sed per dispensationem in lege; & idèd requiritur legitima causa, ut dispensatio sit licita, imò & ut sit valida, si ab alio a Papa concedatur.

Petes, quid in dubio Irregularitatis contractæ? Respondi olim Diss. 10. de Justitiâ art. 10. §. 2. Pet. 2. de Irregularitate ex homicidio, quod ille, qui dubitat an homicidium perpetratum sit ab ipso constans, debeat se gerere, ut irregulare; secus, si dubitet, an homicidium sit reverè perpetratum; aut ejus dubium sit Juris. Verum, maturius consideratis variis textibus Juris, quos retuli, & fuscè expendi, atque ab alienis interpretationibus vindicavi Diss. 6. de Actibus hum. ubi de Probabilitate, art. 2. præsertim Probatione ultima, & in Sol. Obj. nunc mihi probabilis est, dubium positivè de quacunque Irregularitate, sive sit dubium facti cujusvis, sive juris, debere se gerere, ut Irregulare; quia secundum Jura in hujusmodi dubio debet sequi tutius. Require Probationes loco cit. Arbitror tamen, Episcopum posse in Irregularitate dubia dispensare saltem in locis remotioribus, ex tacito consensu Papæ, ut dixi de legibus Diss. 5. art. 3. §. 1. Esset enim onus importabile, si in omnibus hujusmodi dubiis recurreretur ad summ. Pontificem e Regionibus longinquis.

Dices 1. Non incurritur Irregularitas, nisi sit in Jure expressa; atqui, quando est dubium Juris, nequit dici Irregularitas expressa in Jure: ergo. R. D. Min. Non potest dici certò expressa in Jure, C. non potest dici sub dubio, N. In hoc autem dubio Jura volunt, tutius esse eligendum, ut probavius loco citato.

Dices 2. Dubius de casu reservato non debet se gerere, ut obnoxium reservationi, sed potest absolvi a quolibet Confessario: ergo similiter dubius de Irregularitate. R. N. Cons. Disparitas est, quod casus reservati pertineant ad forum conscientie, dubii frequentèr occurrant, sub sigillo teneri debeant, nec nisi urgente necessitate superioribus aperiri; ad quos etiam sæpè non patet facilis accessus, ut eis exponatur dubium, & eorum mens exquiratur. Undè continua foret in Confessariis & Penitentibus conscientie anxietas, & onus importabile, si casus dubii essent reservati. Quibus de causis jure præsumitur, Ecclesiam non intendere casus dubios reservare. Hæc autem rationes non militant pro Irregularitatibus, quippe quæ spectant forum externum, rariores sunt, nec res ita secretæ. Adde, quod Jura volunt dubium de Irregularitate se gerere, ut Irregularem, nihil tale autem reperitur in Jure de reservatione casus dubii. Alias Objectiones vide loco cit. de Probabilitate.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE INDULGENTIIS.

Div. Thom. Suppl. QQ. 25. 26. & 27.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit Indulgentia?

Dico 1. Indulgentia generatim sumpta est remissio proprii juris in gratiam alterius. Ex usu autem Ecclesiæ & Theologorum Indulgentia definitur: *Remissio pœnæ temporalis debite peccato actuali, remissio quoad culpam & pœnam æternam facta extrâ Sacramentum ab eo, qui jurisdictionem spirituales habet dispensandi thesaurum Ecclesiæ.* Explicatur.

Dicitur *Remissio pœnæ temporalis*; quia, remissis culpa & pœna æterna per Sacramentum Penitentiae, seu perfectam contritionem, sæpè remanet pœna temporalis in hac, vel altera vita luenda, ut ex professo probavimus contra Hæreticos Diss. de Penitentia art. 1. Et hujus pœnæ remissio dicitur Indulgentia. Dicitur *Peccato actuali remissio debita*; quia omnis pœna peccato Originali debita per Baptizatum remittitur.

Dicitur *Facta extrâ Sacramentum*; ut distinguatur a remissione sacramentali, quæ est magis liberalis, cum pro satisfactione levæ culpa & pœna æterna remittitur. Indulgentia verò est quædam solutio debiti ex bonis communibus Ecclesiæ; non secus, ac si pro debitore mille florenorum Prætor solveret partem summam ex ærario publico.

Dicitur *Facta ex thesauro Ecclesiæ.* Est autem iste thesaurus valor satisfactorius bonorum operum Christi & Sanctorum, qui non fuit eis necessarius pro expiatione propriorum peccatorum, permanens in acceptance Dei ad utilitatem Corporis Ecclesiæ, cujus Christus est caput, Sancti & omnes fideles membra; & qui proinde applicari potest ejusdem corporis membris, quæ indigent. Dixi *Valor satisfactorius*; duplex enim est valor in bono opere; unus meritorius ratione gratiæ & charitatis, a qua procedit, & respicit præmium obtinendum a præmiante, adeoque bonum merentis, aut illius, cui meretur. Alter satisfactorius ratione difficultatis, laboris, & penalitatis in opere, & respicit jus alienum reparandum, adeoque directè bonum læsi, non satisfaciens, nisi indirectè, quatenus eum liberat a debito. Thesaurus itaque Ecclesiæ, de quo loquimur, constat ex operibus bonis, qua satisfactoria, Christi & Sanctorum, qui juxta modum, quem Deus servat in pœnis, is non indiguerunt ad proprium peccatorum satisfactionem. Quantum enim ad valorem meritorum, Sancti præmium adæquatum, imò superabundans, receperunt in beatitudine. Hunc thesaurum extare in Ecclesia, mox specialitèr probavimus.

Dico 2. (Suppl. q. 25. art. 1.) Indulgentiæ valent non solum in foro Ecclesiæ, sed etiam in foro Dei; id est, liberant hominem non solum a pœnis ab Ecclesia, sive per Sacerdotem, sive per Canones, injunctis, sed etiam a pœnis Deo debitæ & in Purgatorio luendis.

Prob. 1. (Ib.) Quia Christus Matth. 16. promisit Petro, quod id, quod solveret in terra, esset solutum in caelis. Undè Apostolus dicit, quod condonavit incestuosos Corinthio in persona & vice Christi 2. (Ib.) Quia, si Indulgentiæ liberarent tantum a pœnis ab Ecclesia injunctis, & non a pœnis coram Deo & in altera vita luendis, plus nocerent, quam prodescent, & Ecclesiæ fideles deciperet in re gravis momenti; eximendo enim a pœnis levioribus hujus vitæ eos remitteret ad pœnas longè acerbiores Purgatorii, quarum relaxationem obtinissent per pœnas hujus vitæ; sicque verum esset illud Lutheri, Indulgentias esse fidelium fraudes. Undè Sixtus IV. Constit. *Licet ea*, proscripsit hanc Petri Oxomensis propositionem: *Remanus Pontifex Purgatorii pœnam remittere non potest.* Et Leo X. hanc alteram in Bulla contra articulos Lutheri: *Indulgentiæ hæc, qui veracitèr eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debite apud divinam justitiam.*

Dico 3. Indulgentia dividitur 1. in totalem, seu plenariam, quæ sufficit tollendæ toti pœnæ restanti post culpam demissam; & partialem, quæ sufficit tollendæ parti pœnæ tantum. Plenaria non subdividitur. Indulgentia enim Jubilæi non differt a plenaria ratione remissionis pœnæ, sed tantum ratione quorundam privilegiorum annexorum, ut dispensationis in quibusdam votis, absolutionis a reservatis, &c. Ne refert, Bonifacium VIII. in Extravag. *Antiquorum* concessisse Indulgentiam, plenam, ple-

nariam, & plenissimam; ita enim dicit ad majorem explicationem Indulgentiæ plenariæ tantum, & ut tolleret quorundam scrupulos; quia plenum admittit latitudinem, & quæ ad plenitudinem accedunt, subinde dicuntur plena. Voluit ergo tantum significare, se concedere Indulgentiam, quantum se extendit potestas clavium; & ita declaravit, præsentè Glossatore, qui id testatur.

Partialis autem Indulgentia est multiplex. Quædam conceditur pro mediocritate, vel tertia, vel quarta parte peccatorum, id est, pœnarum peccatis debiturum. Alia est unius, vel plurium quadragenarum, unius vel plurimum annorum, unius, vel plurium quadragenarum. Quod ut intelligas, observandum est, quod secundum antiquos Canones, quos recensimus Diss. 9. de Penitentia art. 6. gravioribus peccatis certæ pœnæ imponerentur, aliquando unius vel plurium dierum, aut annorum, 7. 10. 20. aliquando tota vita; item unius, vel plurium quadragenarum: erat autem quadragena jejuniis per 40. dies; & quando erat in pane & aqua dicebatur *Carena*, a carendo aliis cibis præter panem & aquam.

Quando ergo conceditur Indulgentia unius, vel plurium quadragenarum, unius, vel plurium dierum, aut annorum, non est sensus, quod relaxetur tantum obligatio ad illas pœnas antiquorum Canonum, quasi valerent Indulgentia coram Ecclesia tantum, & non coram Deo, ut patet ex Conclus. præced. Neque sensus est, quod tot relaxentur anni de Purgatorio, quot remittantur anni penitentiarum antiquorum Canonum, quasi Indulgentia v. gr. 7. annorum liberet a 7. annis Purgatorii, acerbitas enim pœnæ unius diei in Purgatorio potest æquivalere, imò superare pœnas plurium dierum in hac vita, & incertum est quanto tempore, qui lucratur Indulgentias, deberet pati in Purgatorio; sed sensus est, quod remittatur tanta pœna peccatis debita coram Deo, & in Purgatorio luenda, quanta remitteretur per penitentiam unius, vel plurium dierum, vel annorum, vel quadragenarum, secundum antiquos Canones imponi solitam, aut quæ secundum prudens Confessarii judicium esset pro peccatis commissis imponenda. Quanta autem remitteretur, solus Deus novit. Hinc habes, illos hallucinari, qui parvi faciunt Indulgentias partiales, nec nisi plenarias volunt.

Si dicas, quandoquæ fuisse concessas Indulgentias mille, imò decem millium annorum, quales nunquam imposuit fuerunt per Canones. R. Plures & graves Auctores hujusmodi Indulgentias rejecere ut fictas a Quæstoribus, & nunquam ab Ecclesia probatas. Cæterum sic posset explicari. Suppono, pro uno peccato mortali, puta blasphemiam, impositam fuisse penitentiam decem annorum, si quis multiplicet istud peccatum, puta milles blasphemem, obnoxium erit penitentia decem millium annorum.

2. Indulgentia dividitur in perpetuam, & generalem. Perpetua est, quæ conceditur sine determinatione temporis. Temporalis, quæ habet præfixum tempus, puta 3. 7. annorum, quo elapso cessat. 3. Indulgentia dividitur in personalem, & realem, & localem. Personalis est, quæ conceditur personis lucranda, vel in articulo mortis, vel quoties tale quid fecerint. Realis est, quæ conceditur alicui rei, v. gr. Rosario, Numismati, vel Imagini, lucranda ab eo, qui rem illam gestat. Localis est, quæ conceditur alicui loco, puta Ecclesiæ, Altari, &c. lucranda ab eis, qui illum devotè visitaverint.

Petes 1. Utrum in Indulgentia locali plures in die visitans Ecclesiam, seu locum, cui annexa est Indulgentia, toties illam lucraretur? R. (Ibid. art. 4. ad 2.) quod, si Indulgentia sit concessa sine determinatione temporis hunc locum visitantibus, v. gr. si dicatur simpliciter: qui devotè visitaverit hanc Ecclesiam, talem Indulgentiam lucrabitur; toties illam lucratur, quoties in die illam visitat; quia non est ratio restringendi ad unam vicem. Si verò Indulgentia concessa sit cum determinatione temporis, v. gr. si dicatur: qui devotè visitaverit hanc Ecclesiam tali die, tali festo, tali tempore, puta Paschali, infra talem Octavam, intelligitur tantum semel in isto die, vel tempore determinato: quia Prælatum videret determinasse tempus, ut quisque, cum sibi opportunitas fuerit, Indulgentiam semel lucraretur; & ita apprehendit sensus communis fidelium, qui est optimus hujusmodi concessionum Interpres. Neque obstat, beneficium Principis, quod nulli fert præjudicium, esse laicè interpretandum. Id namquæ verum est duxerunt, quando

non